

DEO DUCE ATQVE AUSPICE
DISSERTATIO ACADEMICA
EXHIBENS
UTILITATEM & OFFICIA
BONI CONSILIARIUM,

Super verba illa Tiberij apud Tacitum lib. 2. Annal. Cap.
26.4. quibus fatetur se plura Consilio quam vi perfecisse.

Quam

Suffragio

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

PRÆSIDIOQVE

Clarissimi Viri

M. DANIELIS ACHRELII,
ELOQUENTIÆ PROFESSORIS ORDINARIUM,
NEC NON RECTORIS p.t. MAGNIFICI,

Ad publicum Examen defert

ERICUS ALBOGIUS,
Ingermannus.

In Auditorio Majori,

Die vii. April, Anni M. DC. LXXXVIII.

ABOÆ,

Impr. apud JOHANNEM LAURENTII WALLIUM, A.T.

DISSEMINATIO ACADEMICA
MILITARIUM & CIVILIA
BONI CONSILII
LITARIA

Super verba illa Tibullii, Tibullus lib. 2. Anas. Cap.
ad. 4. dicitur, quod si quis dicitur, quod in vi periculis.

Quod si quis dicitur, quod in vi periculis.

ANALYTICAE LINGVAE FRANCOSAE
FRONTONIS

FRONTONIS

M. DANIELIS ACHRELLII

PROFESSORIS ORDINARIJ
IN REGIA UNIVERSITATE MAGNIFICENTIA

FRONTONIS

FRONTONIS

FRONTONIS

FRONTONIS

FRONTONIS



Llud quod olim maximus Regum, ex interioribus
 Civilis prudentiæ arcanis, protulit; *In confilio stabi-*
litas; in multitudine sapientium sanitas orbis terra-
rum; hoc inquam præceptum, quoq; hodie stricte
 observant illi gentium Domini, qui suam glori-
 am, regnorum honorem, populorum gaudia, sincerè volunt
 conservare. Scilicet ut in corporibus viventium, nervi devin-
 ciunt membra; ut in terreno globo, catenæ montium fu-
 rorem undarum retundunt, omnisq; generis pulveres suis ossa-
 turis ligant; ut polus alter & alter, constanti lege gubernant
 universam stellarum regiam, ne confusis juribus errent sidera;
 prorsus eodem modo Consilia salutaria, & Consiliiarii fide
 invicti, constantia graves, peritia maximarum rerum incliti,
 hujus mundi Imperia, Regna, Republicas fundant solide, con-
 servant à morbis, avertunt interitum ipsamq; ruinam. To-
 tiens lætatur natura rerum, quotiens Solis dignitas, venusto
 radiorum amictu eam fovet, recreat, illuminat; si vero repen-
 te torvo adspèctû vibrantur omniorsæ flammæ, pavent cardines,
 gemit vigor, trepidat tota universitas. Pari fere ratione, cum
 Senatores vigiles, laboriosi, candidi; in conjiciendo sagaces, in
 deliberando prudentes, in exequendo felices, in sermone facundi
 plus quam verbosi, fessis rebus præsent; omnino suum robur
 habet tot mortalium incolumitas atque victoria. E contrario
 si ardent odio, ira, passionibus; si uxorum amoribus obnoxii,
 prosperis incauti, fracti adversis, gemmis & villarum amœnita-
 tibus inspiciendis unicè fuerint intenti; si ex prava educatione,
 tument opinione peritiæ, vasta spirant faciuntque inania; tunc
 profecto lugent miserorum pectora, horrent intelligentium ani-
 mi, ipsa tabescunt lillia. Vah! quam tranquillâ conscientia, in
 conspectu Dei, in memoriis Historiarum, in fama temporum
 vivunt omnes illi, qui suas actiones conformant ad *primæ mentis*
legem, qui nihil acre cogitant, qui nihil impium, crudele, lascivum,
 velificando cupiditati aut libidini principum tentant,
 svadent,

lyadent, injungunt. Jam vero quam est illud notabile, *multi-
tudo sapientum sanitas orbis terrarum*, respexit forte monarcha o-
mnium ad officia Academicarum & Collegiorum; quorum illa ale-
re debent vero doctrinarum succo mentes, hæc eas in usus pu-
blicos eligere & adaptare. Vide somnia Paganorum & Ma-
hometis deliria; invenies profecto infrugiferas illas arbores, ina-
ni tantum foliorum specie luxuriare; è diverso oculos judicii
dimitte in Christianas sanctiones & mandata salubria optimo-
rum Regum, intelliges eas constitutiones validioribus confir-
mari catenis: Nisi quod per incuriam, affinitatem, minutas fu-
rias, sæpe violentur ab Administris. Fatum profus lamenta-
bile! Artificum collegia ad conficiendos calceos, ad dedolan-
dos asseres, ad cudendum ferrum, non nisi peritos admittunt;
sed Collegia prudentium, sæpe contra juramenti fidem evahunt
audaces, imperitos, loquaculos; quorum Scabie, inscitia ac pa-
ralysi labefactatur supremæ auctoritatis voluntas. Detestaris
mecum, mi ALBOGI, hos mores, hos dolos, istas vanitates. Pro-
inde successibus tuorum studiorum, & constantiæ adplaudo,
simulque voveo, ut ad finem vitæ circumferas

excoctum generoso pectus honesto

Dicit alicubi maximus Politicorum; *mille sunt artes, mille homi-
nes, mille tituli. Et homo nullus sine titulo, tituli vero plures sine
capaci arte.* Gaudemus itaq; cum intelligamus, Christiani
orbis collegia, nunquam ad sacerorum gubernacula, ad justitiæ
officia, ad eruditorum palladia admittere alios, quam pietate
claros maximarumq; rerum peritia notabiles & grandi
doctrina celebres. Sic crescit Dei majestas & veneratio,
Regum auctoritas, tum Regnorum eminentia. *Tantum est di-
stinxisse à Barbariè Civilitatem.* Vale.

a Tuo

D: ACHRELIO.

DN. ERICO ALBOGIO,

Hæcæ pauca in signum amoris properanti scripsit calamo
s. ΕΥΖΕΒΙΟΥ.

Vix sapientius monit o illo Seneca. Si prudens est animus
tuus, vitæ actiones tribus temporibus dispensa; præ-
sentia ordina, futura prævide, præterita recordare.
Nam qui nihil de præteritis cogitat conditionem vitæ optimam per-
dit; qui nihil de futuris premeditatur, in omnia incautius incidit.
Felix igitur imo felicissima salutatur Resp: ubi vigent Religio &
Justitia, quibus inest Prudentia illarum virtutum moderatrix,
suos enim cultores homines præteritorum memores, consideratione
præsentium præmunidos, intelligentia stabiliq; scientia futurorum
præditos, variisq; animi bonis instructos agnoscit. Quid majus
Rom. Pop: cura cordiq; fuit quam prudentum consiliis subjectas
ac circumjacentes nationes regere? Quid dignius Atheniensibus,
Lacedæmonis, Thebannis, quam indigere opis peritissimorum Im-
peratorum? Quid Carthaginensibus utilius subsidiis frui experi-
entissimorum Ducum? Quid utique unicuique Regno hujus un-
versi optabilius consiliariis omnibus præditis virtutibus: Exempla
per plurima horum exhibent Annales, non solum pristinis seculis sed
& præsentis. Si vero mihi jam liceret ad oras mundi nominum eo-
rum excellentium virorum investigandorum causa, excurrere, mul-
ta tunc præberentur mihi elogia in iis recensendis. Sed penuria tem-
poris suadet, tenuitas ingenii mei prohibet, ardua negotia Consili-
ariorum jubent, mandatq; modestia: fratrum vero mea licentia im-
ponit tua candida A. H: Dissertatio, hujus rei satis erudite docteq;
elaborata secundum vigorem Indolis egregia tua; in iis abstinendis.
Propositi mei jam non est in laudes tuas dignas ire, etsi maxime
intenderem, tempore destitutum me cerno, quid opus insuper est ver-
bis, ubi rerum testimonia adsunt. Mihi quidem nunc incumbit

Te encomiis profequi, facultatem tamen elogii tui proferendi apud
me nullam inveniri, inventis quid addam, cum mearum virium
non sit. Sicco ne videar præterire pede, quia necessitudine quadam
vinculi amicitia me obstrictum animadverto, huic autem decla-
randa animum ad scribendum me quidem impulisse ingenuè fate-
or. Faxit Deus, ut consilia tua ex sera quasi fronte profecta, pergant
in Dei Gloriam, Ecclesie emolumentum, Reip: vero incrementum.
Verum pro navata epera ac diligentia studiis dicata, tanto gaudere
amico impense mihi gratulor. Id unicum ultimo a Te rogatum
velim, ut ista qua cœpisti, pergas via, virtutis tandem præmia
feras lætaq; Te excipient fata. Ansam plura dicendi publice nimi-
rum dabit occasio. Vale.

ALBOGI Eximii Doctissime nate Parentis,
A teneris annis note & amate mihi:

Est opus egregium, si recte judico, præsens,
Quod proprio fecit Marte Thalia tua;
Hoc etenim pulchras facit exsplendescere mentes;
Et vires monstras sic satis ingenii.

Nam qui vult studiis famam, captare perennem,
Sedulus ac constans invigilabit iis.

*Ars quia longa nimis, brevis est sed vita, nec unquam
Lapsa semel nobis hora redire potest.*

In stadio posthac simili virtute laboris
Curras, & demum præmia larga feres.

Pluresque ingenii studeas producere foetus

ALBOGI Auraicæ portio docta Scholæ.

Gratulor his cæptis, Numenque ex corde precabor,
Perpetuo ut crescat gloria lausque tua.

Hæstinanter non minus quam amice scripsit:

E: 2323E6XEN.



P R Æ F A T I O,



*H*ederam huic discursui appendere, & in amplissimum laudis exspatiari campum, ob materia hujus Splendida dignitatem prastantiamq;, opera pretium non est; quippe jam dudum hoc apud altiora ingenia applausum meruit: Bonos nimirum & fidos Consiliarios esse ornamenta Reip: splendorem Civium & Principum brachia. Qui tanquam fortissimi Atlantes, sapientissimo consilii gubernaculo imperii orbem sub auspicio Regali, vel consensu gentium regunt & defendunt. Ut enim navis, sine Nauclero viarum perito facile in brevia & syrtes, furentium ventorum procellis agitata impellitur; ita Respublica, horum adminiculo destituta, facile in altum jactatur in impetuoso hoc actionum humanarum mari, ubi prater vastissimas vitiorum syrtes, hostiles ruunt procella, quæ imperiorum navem mirum in modum vexant, frangunt, debelitant; ut Plinius in profunda suæ eruditionis Panegyrico testatur: Miseranda Reipub: rectore destitutæ facies, quæ permixta omnibus veluti ventis, quibusvis ingruentibus tempestatibus vela pandere cogitur, & iratos fluctus sequi quosq;, donec eam tandem in scopulos deferant. Magna itaq;, eorum necessitas, qui non so-

lum sua prudentia presentibus rebus consulunt, sed etiam futura prospiciunt, & mala quae Rebus publicis solent accidere ante praevisa avertunt, aut innata avellunt extirpantque; Quos non ineleganter Didacus Saavedra in Symb: Polit: Sceptro oculis pleno confert, ad significandum nimirum per Consiliarios Principem gubernationis suae negotia praevidere debere, ubi enim hisce destituitur, erit fere sine visu majestas: ut summum in Rege imperium ita salutare in senatu Consilium, quorum illud sine hoc consistere non potest. Omnia enim Regna, Civitates, Nationes, usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera Consilia valuerunt, ait Salust: De hoc itaque sublimi boni Consilarii characterem pauca, pro hac temporis sorte scripturus, qui ut sublimis satis atque Magnus, ita quoque arduum est in tot eruditorum virorum conspectum prodire exigua doctrina ope, fretus tamen bonorum censura & in interpretando Candore osculum adgredior. Tuum interea est B. L. equi bonique Consilii angustiores haec pagellas rudiori penicillo adumbratas; nam si justa diligentia, quam aliae hujus materiae dignitas postulat, persequeretur, foret id majoris operis & oneris; Itaque quae jam temporis angustiae & instituti brevitatis industria denegarunt, humanitate tua & sincera dexteritate B. L. suppleas: Vale.

B, C, D.

B. C. D.

I.



NE videar vana verborum sectari aucupia, in tam illustri materia, quæ delicatioribus ingeniis nauseam excitare solent, stylum proinde inijciam tractationi Consiliarii, descriptionem in frontispicio exhibens talem. *Consiliarius est persona, qua in Republica ad gubernandam pacem, & componenda bella, ad ordinandas res magnas utitur majestas, ut floreat honestas & boni publici utilitas.* Hinc facile constat de quo hic agitur Consiliario, non quidem de illis qui inferioris sint dignitatis, & in curiis aliisque collegiis assident, sed de illis qui ad Clavum imperii sedem habent, quorumque adminiculo in peragendis rebus arduis, utitur summus Magistratus, neque hi semper à Majestate differunt, sæpe enim eo ipso cum consiliarii sint, summos tenent fasces, juraq; habent Majestatis, qualem nobis faciem repræsentat Aristocratia, quæ ex ipso Senatu consistit.

II.

Antequam ad alia transitum facimus, paucis de numero Senatorum disquirendum. Plures vero requiri ad imperii rotandum orbem neminem facile inficias iturum autumo, quia plures facilius possunt perspicere & dijudicare ea, quæ ad Reipubl. gubernationem necessaria sunt, quam unus. Hæc augusta Agamemnonis mens videbat, dum pro uno Nestore decem optat, non dubitans quin facilius se Troiâ, si

plures haberet tales Consiliarios, potiturum. Optime itaque Imperium administratur, si in eo quisque suo invigilet muneri. Periculosum est imperanti, sibi soli fidere, & peritiæ opinione tumere: Nihil æq; tam absurdum, quam dicere se solum posse plura videre, audire & agere, quam multos. Nec quoque sibi bene Consulunt illi principes aut regnorum moderatores, qui omnia rerum negotia uni alicui conferenda existimant. Quot vero incommoda, hæc secum habeat administratio, cuique apparet. *Magni momenti res est tractare salutem mortalium*, ideo non unitatō & soli permittenda capiti in hac imbecillitate humanæ naturæ suo semper pondere in deteriora vergentis. Hæc vidit Arist: lib. 5. Polit: dum ait. *Cavendum est principi ne unum quempiam supra cæteros honorum magnitudine efferat & totam illi regni curam committat, sed in plures imperia dignitatemque dividat.* Quod quoque Tyranni aliquando facere coguntur, licet nullum imperii socium æquo animo pati velint; segnius etiam omnia peraguntur cum uni honores & præmia collata sunt omnia, & ut brevibus complectar, langvescit industria, & intenditur socordia, cum tam raræ ad munera promotiones.

III.

Quemadmodum vero expedit Reipubl: saluti, cum plures illam consiliis sublevant, ita quoque magno est detrimento amplius eorum numerus, qui licet ad multitudinem negotiorum componi debeat, non tamen plus justo excedat, varia hinc resultant mala ut asserit doctiss: Causin: dissert: 35. de Regno Dei, *Nihil æq; turbat*

turbat Regna, quam vasta illa & incondita officialium congeries, maxime in ijs qua administrationem justitiæ aut fiscum spectant, Cui ad stipulatur Saavedra Symb: 55. Ubi magnus, inquit, Consiliariorum numerus, retardantur Consultationes, Secretum in periculo est, & confunditur veritas; suffragia enim numerantur solum, non expenduntur, & major deniq; numerus concludit.

IV.

Magna vero est difficultas eligere bonum Consiliarium, ob varietatem humanæ naturæ, tam eodem tempore falsæ quam rectæ. Noscat igitur potestas summa felici fidere penetrare in pectora eorum, quos sibi ad latus adjungere cupit, variorumque ingeniorum notitiam optimè perspectam habeat, quæ è morum & doctrinæ cognitione haberi potest. Ne pravum aliquem, qui optima sua dona in malitiam convertit, eligat, qualis Sejanus apud Tacitum, *qui omnium malorum facinorum auctor & repertor dicitur*: tales enim si ad dignitatem illam senatoriam evehuntur, semper id machinantur malitia quadam, quo pacto motus tumultusq; excitent in patriæ interitum, à quibus maximè cavendum. Discant quoq; Reges vitare eos qui specie adulationis se subdola quadam arte commendare solent, & recusantium more se tam magno operi subtrahere simulant, cum tamen omni nisu regere affectent; ut astutum Tiberii erat ingenium, in cujus oratione dicit Tacitus, *plus dignitatis quam fidei fuisse; speciose enim predicabat se ab Augusto in partem curarum vocatum & experiendo didicisse, quam arduum quam subjectum fortune, regendi cuncta onus*. Nec adsciscendi sunt

ex commendatione paucorum, aut favore vulgi, sed quos ipsi principes societate & moribus bonos esse probarunt, quique virtutis doctrinaeque ornamento sunt illustres. Et quemadmodum Romae honoris templum intra septa virtutis sic erat extructum, ut nisi per hoc ad illud licebat ingredi: existimantes ad honores per virtutem debere aditum patere. Quod bonus etiam Consiliator in adeundis honoribus observare debet.

V.

Inter virtutes autem Senatorias primas tenebunt PIETAS ET JUSTITIA, fundamenta & bases Imperiorum. Sine nutu & afflatu Sanctissimi Numinis nihil bene geritur, nullumque Consilium felicem consequitur eventum. Quod Grotius acutissimo hoc dicto confirmat: *Credere humanis Consiliis regi Rempub. subtilis est Atheismus.* Agnoverant hoc quoque Ethnici, in Cimmeriis utut caecutientes tenebris ab altiori spiritu actiones volvi mortalium, quanquam de vera pietatis gloria vix subolfacere potuerint: quorum pietatem Val Max: lib. I. de Relig: hunc in modum depingit: *Nec dubitavere olim optimi quique imperantes sceptris sua sacris submittere, ita rerum humanarum dignos se rectores fore existimantes, si divina potentia bene essent famulati.* Si tantus Numinis metus in gentilibus fuit, majori jure Christianus consiliator hac virtutum Corona splendeat, qui verbi divini facula est collustratus. Huic virtuti foror vinculo indivulsoque nexu JUSTITIA omnis principatus firmamentum sit annexa, hujus beneficio imperium redditur maxime diuturnum atque pacatum: Testis est Respb:

est Respub: Spartanorum, quæ quamdiu legibus obtemperabat excellentissime floruit, ubi vero eas abrogare cœperunt, statim quoque eorum corruebat imperium. Hæc virtus celebrissima est, quæ dum jus unicuique suum tribuit, totius mundi vices, sacra moderatione dispensat, ac perpetua æqualitate in omnes imperii venas se diffundit ejus Majestas. Hoc vere Senatorium est, prospicere ut omnes peræquæ legibus obstringantur. Injustum enim est leges esse telis Aranearum similes, quibus obedientiam præstare tenentur humiles & miseri; potentes vero & illustres non nisi difficulter. Hanc nobilem virtutem duplici fulciat munimento, uno moderatæ severitatis; Clementiæ altero: *nisi enim amabilitas, clementia, vigor severitatis temperatus fuerit, ipsa vi sua collabertur*, ait Schefferus in memor: Gent: Svet:

VI.

Ad superiorum præterea gratiam obtinendam maxime conducit virtus illa quæ dicitur MODESTIA: itaque bonus Consiliarius nihil de se magnifice sentiat, quamquam magna meritis; neque omnem honorem quem meretur exigit. Magnanimus autem potius patrare magna concupiscat, quam mereri de se judicet. Non se elatum gerat erga Principem: facile enim sic se exosum illi facit: Principibus enim ingratum est, quicquid nimium splendet, cum soli eminere cupiant; quod si hic incautius agant Senatores, ut suæ aliquid prudentiæ adscribere videantur, & sui animi vigorem coram principe semper ostentent, hac suspitione nihil pejus excogitari potest, quæ vanitas citius interi-

tum

rum illis minetur, sepulcrumque exstuat, cum si hæc opinio semel in animo principis radices egerit: res enim odiosa arrogantia est. *Placent enim qui specie obsequii rezint, & ad omnia, que agenda sunt, quæta cum industria adsunt.* Quam Taciti sententiam approbat Sophocles: *etiam apud principem, inquit, arte & flexu opus est, ut seruetur Majestas Principi.* Nam & Alexander ægre tulit Parmenionem vicisse; suæ demtum gloriæ existimans, quidquid cessisset alienæ, Curt. Prudens vero fit Consiliarius quanquam omnibus curis atque negotiis abunde sufficeret, maximè se deficere simulet, atq; talem se præbeat, ut ne intelligere quidem videatur, quid quantumque patriæ utilitati præstitisset. Erga bonos fit comis & affabilis aditu & alloquio facilis, exemplo Miltiadis in cujus conspectu nemo tam humilis erat, cui ad eum aditus non pateret. Ut autem comitas Senatorem ornat, ita quoque exigente tempore gravitas non superba sed modesta: absit itaque scurrilitas à sermone, *gravis enim robusta & ardens decet Senatorem oratio.*

VII.

Honestæ vitæ conservatrix TEMPERANTIA, insigne fit proporro Senatorii pectoris ornamentum: siquidem hæc virtus non solum voluptatum lenocinia contemnit, sed etiam omnibus cupiditatum illecebris abstinet; hujus quoq; beneficio efficitur verecundus, honestus & a turpibus abstinens bonus Consiliarius: sin vero intemperantiæ locus datur, facile ad interitum Respub: concitatur. Nulla enim tam belli, quam libidinis & gulæ vis, regna absorbere solet. *Quare bonus SENATOR*
in id

in id semper incumbat, ne Civium vita luxui & voluptatibus succumbat. Multum quoque ad famæ honestæ gloriam consequendam, conducit Consiliario, præditum esse liberalitate, cum nihil hac virtute ad populorum conciliandos sibi animos sit accommodatius. Hæc virtus post etiam cineres perennitatem promittit; quis enim non intelligit, sic operam suam apud bene memores collocari. Liberalem se præbeat præsertim illis, quorum fortunas videt esse mediocres, vel tenues; adeoque non tantum pecuniis sit largus, sed quosdam Consilio, quosdam auctoritate sua juvet. Maxima vero cura attendat, ut cum virtute largiatur, ne specie liberalitatis luxuria irrepat. Fugiat quoque avaritiam, vitium tanto viro minime dignum; Avari enim bono suo proprio non sunt contenti, sed alienis etiam inhiant opibus: Hos minime decet Senatoria hæc dignitas, *quid tam indignum, inquit Caus: Principi, quam creare spiritus maleficos & vexatores, quos tanquam culices famelicos in omnium patrimonia immittunt.*

VIII.

Sequntur nunc quædam requisita in ipsa consultatione necessaria. In svadendo itaque sit Consiliarius LIBER, ne videatur cum fortuna Principis potius, quam cum ipso Principe loqui; quanquam periculosum aliquando sit, dominantium opponere se proposito, quando de rebus pessimis Princeps consultat, impedire conatus, in odium incurrere videatur Senator. Sed hæc in re fidelis Consiliarii partium est, quando de re scelestâ & nefaria quæsitus, Consilium principi percontanti, juxta veri æquique jura ingenue respondeat;

quod egregiè Chrifto: Bessel in monitis suis polit: monet: *si id vel maxime fiat cum periculo & jactura vite, dum modo spes correctionis, emendationis, inde propullulantis superfit.* Multi se satis facturos existimant muneri suo, si pessimum Consilium tacendo vel capite abnuendo inhibere conantur; sed id haud sine levi crimine faciunt; cum se juramento obstrinxerunt ut fideliter patriæ commodum promoveant & firmiter pro veritate pugnent: non itaq; turpiter cedendum ne majora dedecora contrahantur: deterfo igitur omnis adulationis fucio, quo adultores se adblandiendo commendant, dextre & sincere promat quicquid honestati congruum, veritatis enim nectare victitant superi, pascuntur mortales; licet pretii loco quandoq; sit illud Thomæ Mori Angliæ Cancellarii non admittentis divortium Regis, qui 14. mensium spatio Carceris squalore maceratus & cruenta morte tandem sublatus fuit, cujus honesta mors, si vere pia, initium fuit vitæ. Multi vero illius sunt ingenii, cum sibi vident esse pereundum, instar Euripi fluunt refluentq;, legesq; divinas & humanas flexibiles reddunt.

IX.

Nec per dubia præterea Consilia suadendum, quamvis aliquando infausto terminantur consilia exitu: cum hoc tantum requiritur à Senatore ut fidem præstet, minime vero ex eventu rei plectendus: cum enim ad animum consulentis & propositum non ad consilii eventum respicere jubeat prudentia; dum sæpe prava magis quam bona Consilia prospere eveniant. Darius Persarum Monarcha ait; defuturos, qui
suadere

svaderent, si svassisse periculum esset. Eventuum quippe felicitas in manu Consiliarii non est, sed tantum ratio, prudentia & fides, excluso omni dolo, quia Deus quæ homo proponit, ea ipsa ex suo nutu sic, disponit ut fidem & circumspeditionem possibilem præstare Consiliarius Principi possit, eventum vero inevitabilem non itidem, unde canit egregius Poetarum.

----- *Careat successibus opto*

Quisquis ab euentu facta notanda putet.

Hinc Tacitus laudat Paulinum, quod ipsi *cauta potius Consilia cum ratione, quam prospera ex casu placebant.* Licet igitur Dominanti minus utilis visa alicujus sententia, eum tamen non exagitet, multo minus infamia notet.

X.

Viranda etiam Senatori in Consiliis PRÆCIPITANTIA, quæ consilii est noverca, prudentiæ pestis, & temeritatis mater. Quod Damocritus prætor Aitolorum apud Livium testatur. *Nullam rem consiliis tam esse inimicam, quam celeritatem: Celerem enim pœnitentiam, sed eandem seram atque inutilem sequi: precipitata enim rapim consilia, neq; revocari, neq; in integrum restitui possunt.* Amo enim lentos, ait ille, qui quicquid est incoctum non expromunt, nam si qui subiti consilii euentu sunt felices, id non præstat ratio sed casus. Consulere igitur quidem lentê, sed consulta exsequi festinanter, monet celebris Græcorum oratorum Demosthenes. Si vero summa necessitas postulat celeritatem, prudenti tamen eam temperet consilio. Vacabit præterea Senator vitiosis affectibus, removeat calumniam & iracundiam, quæ optima consilia pervertunt, præ-

fertim ex particulari odio ; si sint contrarii negotio vel personis de quibus consultatur, quales consiliarii fuerunt Haman & Achitophel. Pestilentissimum est quoque virus discordia inter consvafores & collegas, qui ut remiges & nautæ cum periculo submersionis digladiantur in una Navi, ita qui etiam concutiunt Remp. stimulante privati odii pervicacia. Illustre est illud Aristidis qui Themistocli semper adversus, cum una in legationem missi essent & ad portam urbis venissent; *visne Themistocles*, inquit, *inimicitias paulisper deponamus, recepturi eandem hinc cum redierimus.* Nec æmulationem pravam exerceat cum aliis collegis, quæ aliquando ob sententiarum divortia exoriri potest, neque unus plus se intelligere existimet, quam intelligit alius.

XI.

Consilio peracto, requiritur TACITURNITAS, arcanum rerum gerendarum vinculum, *cum inter eor & linguam totum humane vite versetur Sacramentum.* Non itaque temere divulgent Senatores, secreta illa Imperii, quæ silentio sunt premenda: cum enim hic rumpitur nodus, occultum illud venenum, quod arcanorum est proditio, alitur. Componant se potius ad exemplum Mæcænatis Consiliarii, cujus taciturnitas sæpius ab Augusto laudatur: memorabile illud quoque Metelli, quo se tunicam suam, si sui eam consilii consciam putaret, exuturum & crematurum dicitabat.

XII.

Sit quoque bonus Consiliarius constans. Quoniam laudem illa semper merentur, quæ cum Judicio & ratio

& ratione optime sunt consultata; verum si absit CONSTANTIA, turpia judicantur. Oportet vero constantiam conjunctam esse cum prudentia & rei veritate, ne contumacia quadam opinio rationi & sapientibus viris contraria, defendatur: cum enim melius sit atq; consultius mutare animum quam in male cœptis pergere, *nemo doctus mutationem Consilii in melius*, ait Cicero, *inconstantiam dixit*. Curam quoq; habeat Senator, ut Consilia optime deliberata fideliter exequantur. *Ridicula plerumq; res est*, testatur Caufinus, *in consultationibus Principum videre graves viros, maxime sollicitos, ut docte et ornate dicant, quasi ad declamandum veniant, non ad deliberandum. Trahitur consultando tempus, fiunt commissiones ingeniorum & magnificæ orationum Concertationes, quæ ubi absoluta fuerint, multa in speciem dicta, nulla in rem efficaciter provisâ.*

XIII.

Cum Consulendi ars plane divina sit, ideo qui consulunt insigni doctrina claros esse oportet, teste Platone sic dicente: *Tum deniq; fore beatas Respub: si aut docti ac sapientes homines eas regere cepissent, aut ii qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocarent.* Intellige Sapientiam maxime tanto viro dignam, nec nimia curiositate quibusvis se immisceat levibus, *cum hoc proximum sit desidia, occupari futilibus.* Nec sufficit Senatori nihil præter auctoritatem & unius fori experientiam in senatum secum ducere; Magnifica hæc sunt spectra quæ omnem eruditionem communiter solent exhibere, & quicquid doctorum est, pro muscarum agmine habent. A bono vero Consiliario, studia sum-

ma cum industria omnino excolenda sunt, præsertim ut in necessariis disciplinis, sit probè instructus, necessitas ipsa postulat. Primò notitiam sobriam rerum habeat divinarum, eamque sinceram, non fœdis quibusdam superstitionibus, aut aliis erroribus obnoxiam, ne facile Hæreticorum aut aliorum Pseudopoliticorum commentis, à vero Religionis tramite se patiatur abduci, qui in aulas irrepere solent, ut eo facilius Imperii orbè venenoso suo halitu inficiant eumq; turbent; curetur vero ut nova hæc dogmata simul cum auctoribus illico exterminentur & extirpentur.

XIV.

Quoniam cardo totius scientiæ Consiliarii consistit in agendo, proinde familiarem sibi reddat eam sapientiæ partem, quæ docet virtutes à vitiis discernere, honestè beateque vivere, ad virtutem omnes actiones componere. Civiliū deinde rerum notitiam ad unguem habeat notam, intellige non umbraticam illam scholis aptiorem, sed gravem, seriam, ingenioque practico maxime propriam. Non virum facit Politicum, nuda quædam præcepta didicisse, ac magnificas quasdam voces audivisse; *Tales enim, dicente Cunæo, si è sapientum subselliis in lucem hominum protrahantur, ad res gerendas ineptissimi sunt & in alio orbe pedem posuisse suum videntur, scientiam quidem præclaram adepti & in Schole umbra doctissimi; per quadam mirifici soni Cymbala & crepitacula, plebeio stupori promulgata, salntari amant & pro oraculis venditari: Theoretica hac sapientia scholam redolet.* Noscat vero prudens Consiliarius, actiones orbis civilis maxima felicitate disponere, instar medi-

medici, à quo requiritur non tantum notitia quædam morborum & præcepta quædam generalia, sed exigente tempore, cuiq; morborum generi remedia profutura; eodem plane modo ille in imperio optime svadet, non qui aliquod generale, nullo temporis ac Reip. habito respectu promit Consilium: Sed qui tempori accommodatissime svadet, ut Themistocles Dux Atheniensium, *qui de instantibus verissime judicabat, & de futuris callidissime coniciebat.*

XV.

Prudentia hæc Politica sit prægnans amplissimo historiarum cibo, qui ante oculos ponit omnium seculorum populos, mores & ingenia, bella principum, progressus Rerumpub: omniaque eorum fata: Puta, maxime hic intelligi historiam illam pragmaticam, quæ imperiorum arcana & penitiora belli pacisque consilia in Regum Principumque animis, tanquam in occulto quodam adyto, conclusa jacentia, referat. Multum quoque expedit Consiliario peregrinatio; præclara ratio si ingenium adsit peregrinanti, nam de cætero, nihilo prudentiores, nihilo præstantiores evasisse strenuos quosdam peregrinatores vidimus, quam Plautina mulier, quæ delicata voce clamabat: *Urbium species vidi.* Solida enim perigrinatio docet, quales externarum gentium mores, quæ leges, quæ disciplina militaris & civilis, quæ forma regiminis, ut cognitis his felicius mores suorum civium, maxima felicitate dijudicare noverit, præsertim Principis, *cum hoc opulentissimum venationis genus est, explorare intimos Regum motus,*
quò

quò eos natura, quò cupiditas vocet, ut dicit Barcl: quicquid præterea in aliis imperiis dignum notaverit, regioni in qua vivit non adversa, cum ejus utilitate recipiat.

XVI.

Addenda civili sapientiæ, Juris cognitio, cujus beneficio, Justitia conservatur, quæ in dirimendis litibus, in componendis seditionibus & æquitate dispensanda multum præstat. Omnino cognitum erit Juris perito, præsertim patrium jus: ut sciat Senator, cum contigerit, casus varios decidere feliciter. Sæpissime etiam novæ leges sunt ferendæ, vel veteres abrogandæ, postulante necessitate gravi, quæ omnes fundamento juris inniti debent. Artem quoque calleat oratoriam, ut benè & ornate dicere possit, magnâ quadam actionis dignitate; qua laude olim Roma, non minus quam armis, late per orbem nominis sui Majestatem porrexit. Utilis quoque peritia cæterarum est lingvarum, maximè verò vicinarum gentium, in fœderum pactione & commerciorum tractatione. Sit quoque aliarum liberalium artium amans, quæ haud parum emolumentum secum habent.

XVII.

Magnoperè quoque commendant Senatorem corporis bona, utpote bona valetudo, quæ opitulatur administrationibus feliciter obeundis: Ornat quoque illum bona corporis forma, quoniam virtus non sit ornamentis illis externis alligata, Majestatem tamen corporis & oris animus etiam ornatur, utraque perfectio tam animi quam corporis est necessaria, ut non æque. Bona quoque fortunæ celebrant Senatorem, ut sunt, genus, honor & gloria, bona fama & divitiæ:
 Eligendi

Eligendi itaque sunt qui per sanguinis tubulos, paternos imitantur spiritus; sunt enim quasi pignora quædam imperii, à suis majoribus relicta: quamvis minus principaliter, ut loquitur Schola, bona fortunæ spectentur, optimus enim quisque revera nobilissimus est, vitiosus & stupidus quisque degener ac vilis. Non igitur illi sunt excludendi ab hoc fastigio, qui gloriam ex virtute & in patriam meritis quærunt. Pluris etiam æstimatur bona in Senatore fama, hæc enim optimum commendationis fundamentum est. Caveat igitur Senator à famæ tractura: *fama enim damna majora sunt, quam unquam æstimari possint*, inde non tantum ipsis sed etiam posteris macula adhæret.

XVIII.

De ætate nunc paucis dicendum, quæ non sit juvenilis, nisi matura supra annos appareant indicia. Hæc etenim ætas varijs plerumque voluptatibus est obnoxia, ad easque exequendas toti propensi sunt juvenes. Major quoque illis inest animi simplicitas, hinc nimis creduli, dolis enim nondum multis decepti. Seniores igitur in numerum Consiliariorum adoptandi sunt, cum sine experientia, quæ ætate acquiritur Resp: administrari bene non possit, namque ubi robustis adolevit viribus ætas, Consilium quoque majus, & auctior est animi vis. Expedi interea, juxta annosas arbores, novellas plantas inferere, ut ex seniorum dictis factisque similia discant dicere & consulere juvenes. Illud tamen in Romana Republica Salustius dicit observatum fuisse: *Delecti quibus corpus annis infirmum, ingenium Sapiencia validum erat, qui Reipub: Consultabant.* Causam hujus capacitatis

citatis in senioribus hanc dare solent naturæ rerum periti, quod siccioris sint temperamenti, hinc anxia deliberatione omnia agitant in discernendo & eligendo. Nec munus hoc nimio senio langvidis concedendum, Consilia eorum plerumq; sunt dubia, valde enim timidi, multa sunt experti, metuunt ne plura experiantur.

XIX.

Expendere quoque solent civilis sapientiæ periti, utrū in hoc munus extraneus aut indigena evehendus sit. Præponderare vero eorum sententiam, ferramq; cum illis ducere existimo, qui sublimi huic fastigio ejusdem civitatis natum, si fieri potest, eligendum esse sentiunt, qui enim peregrè venere plerumque omnem charitatem in patrium fixere solum, unde egregie monet Bapt: Sacc: in *διατριβῆσι* Principis; *Hos velim si fieri potest, ut ex civitate tua deligas, nam qui tibi fidelius Consulant, quam cives tui non video, qui tecum in partem bonorum & malorum venturi sunt. Perspicacius enim & diligentius quod propones intuebuntur, & considerabunt, qui tecum vel cum majoribus tuis, sub eodem celo, in eodem solo, nati & educati sunt.* Quod etiam legibus in patria nostra cautum est, & et in Regiminis forma Anno 1634. data; non igitur nisi graves ob causas extranei huic dignitati admovendi. Quippe illi vel ad suum commodum, vel ad arbitrium solius principis omnia referunt; Hoc intellexit ille verè sapiens qui dixit: *admitte ad te alienigenam & subvertet te in turbine, ab alienabit te à tuis propriis.*

XX.

Succedit nunc officium Consiliarii, paucis ducendum lineis. Quamquam ordo ille Senatorius in varias dispe-

dispercutitur classes, ut quidam ad dirigendam pacem, alii ad bellum pertinent, una tamen virtus civilis, omnes eorum administrationes, ad finem illum dirigit, *conservationem scilicet Reipub:* semper itaque bonus Senator, se suamque fortunam, pro salute dominantis & imperii incolumitate devoveat, & quanquam vita aliquando in periculo est, animum tamen fortem, licet illi occumbendum, pro patriæ commodo declaret: vivit enim fama ejus & immortalitati consecratur. Hos vero imperantes & subditi magnificere solent, quorum amorem flagrantem experti, quod de Hephestione testantur scriptores nihil ipsi æque profuisse, nihil tamen eum intimæ Alexandri amicitia insinuasse, quam primum illum quo Regem persecutus est amorem.

XXI.

Ante omnia itaque svadeat imperio UTILIA, sed dirigatur utilitas honestate, nec semper primas teneat illa, quando Consilium principi propinandum, ne sub hac specie, fucatis pigmentis minus honesta introducantur. Ut Themistocles post victoriam ejus belli, quod ei cum Persis fuit, dixit in concione, se habere consilium Reipub: salutare, id tandem Aristidi aperuit, quod cum audivisset in concione, magna expectatione venit, dixitq; *perutile esse Consilium quod Themistocles afferret, sed minime honestum* Cic: Hoc consulendi modo utuntur illi, quibus plurius cordi est propria utilitas. Quod fit cum ad tales honores aditus patet sordidis & pravis ingeniis, qui molem pecuniarum, virtutum gloriæ anteponunt. *In talem hominem munera Reipub: conferre, est optimo cuiq; adimere*

quimum & vires roburq; malitiæ addere, inquit Didac: Saavi hi enim quam periculosi sint Reipub: cuiq; in aprico est: boni enim specie, ad fines suos finistros Patriæ trahunt commoda, ut tolerabilior iste videtur status, ubi Princeps malus est, siquidem unus malus à pluribus corrigi potest.

XXII.

Illi vero Consiliarii qui sic Patriæ se devoverunt, in servandis civibus & tuendo imperio, tanquam salutaria sidera de cælo lapsa, sunt suspiciendi; quoniam & fide & rerum hominumq; peritia & salutaribus Consiliis abundant. Horum igitur præmia sunt magna atq; præclara, non tam in auri argentiq; consistens possessionibus, quam in laude & gloria, quæ apud posteros in ævum durant: Eximiis quoq; ornantur honorum titulis præ aliis civibus, Barones & Commites salutantur, magna quoq; est eorum dignitas, ut si quis aliquid in illos comiserit, delictum habetur capitale, & inter crimina læsæ majestatis annumeratur. Sed hæc pluribus persequi instituti brevitatis non indulget, ea vero quæ summa festinatione occurebant, in chartam conjeci, spero me apud cordatos excusatum iri, eorum quæ partim omissa sunt, partim minus politè irreperant.

T A N T U M

